26. *Deus creaturas conſtituit & deſtituit non per motum, ſed per nutum.*

Cap. X.
De Angelis.

1. N*Omina angelorum ſunt communia, vel propria. Illa ſunt vel naturæ, ut* Spiritus, *vel officij, ut angelus: hæc ſunt bonorum, vel malorum angelorum.* Et utraq; ſunt vel naturæ, ut Spiritus puri & impuri, vel officii & ſtudii, ſeu actionis, ut vigiles, Satan. *Deinde nomina angelorum ſunt ἔγγραφα, ſeu divina, vel ἄγραφα, ſeu humana.*

2. *Cognitio angelorum eſt matutina, meridiana, vel veſpertina.* Illa eſt, quâ cognoſcunt res creatas in λόγῳ, id eſt, in Chriſto: iſta, quâ cognoſcunt divinam eſſentiam: hæc, quâ cognoſcunt res in propriâ ſpecie.

3. *Angeli boni conſiderantur quantum ad eſſentiam & œconomiam.* Priori modo ſunt à corporibus liberi: Poſteriori modo poſſunt aſſumere corpora pro ratione officij, quòd Deus ipſis injungit.

4. *Diabolus eſt Spiritus malus, ratione qualitatis & defectionis: eſt Spiritus bonus, ratione ſubſtantiæ & creationis.* Vel, ut Gregorius *lib. 2. moral. cap.* 10. Job. ait: Satan eſt Spiritus Domini per licentiam juſtæ

pote-